

Calamintha (Satureia) Pillichiana nov. hybr.

(*C. intermedia* [B a u m g.] H. Br. × *C. Clinopodium* Benth.)

Auct. J. Wagner (Budapest).

Perennis, *caule* simplici vel ramoso, hirsuto, *pilis* 1 mm longis patentibus vel arcuatim reflexis; *foliis* ovatis, 1—2·5 cm longis, 0·6—1·7 cm. latis, margine debile et obtuse serratis, utrinque hirsutis; *inflorescentia* in verticillastris axillaribus terminalibusque disposita; verticillastris singulis 4—50-, plerumque autem tantum 16—20-floris, *bracteis* bracteolisque linearibus, 6—80, pro more autem tantum 30—10 circumvallatis; *calycibus* 8 mm longis, bilabiatis, labio superiore 3-, inferiore 2-dentato; dentibus calycinis superioribus pro ratione valde brevibus, millimetralibus vel parum longioribus, inferioribus 3 mm longis; *calycibus* pilis simplicibus, articulatis 0·2—0·6 mm. longis, in parte inferiore calycis sparse, in parte superiore densius obtectis, dentibus calycinis hirsutis; pilis his simplicibus; immixti inveniuntur in omnibus partibus calycis nec non in bracteis plures vel pauciores pili glandulosi c. 0·2 mm longi. In calycibus exemplariorum nonnullorum etiam glandulae sessiles maiores longitudinaliter seriatim dispositae inveniuntur; in exemplariis singulis imo pili glandulosi frequentiores sunt quam simplices. *Nuculi* orbiculares 0·6 mm diam., laeves, brunnei. Granula pollinica evoluta pauca, cca $\frac{2}{3}$ inania. A *C. Clinopodium* differt verticillastris paucifloris, bractearum numero pauciore (verticillastri *C. Clinopodium* plus quam 60-flori, bractearum numerus 120 superat), insuper glandulositate calycis bractearumque; a *C. intermedia* differt inflorescentia bracteis linearibus circumvallata, in verticillastris disposita, calycum dentibus multo hirsutioribus, calycibus pilis glandulosis longis (longitudine pilos glandulosos *C. intermediae* circiter decies superantibus) pilisque longioribus, e glandulosis simplicibus, insuper hic-inde inter nervos etiam glandulis sessilibus obsitis.

Ab utrisque parentibus nota — ut videtur hybridisatione acquisita — i. e. dentibus calycinis superioribus duplo brevioribus.

Hab. in Hungaria media. Ad margines Arundineti cuiusdam prope Simontornya, Comitatus Tolnaensis detexit c. Franciscus Pillich, pharmacopola. Hybridam novam detectori fausto, de studio rei entomologicae agri Simontornyensis et optime merito dedico.

ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: [Ungarische Botanische Blätter](#)

Jahr/Year: 1924

Band/Volume: [23](#)

Autor(en)/Author(s): Wagner J.

Artikel/Article: [Calamintha \(Satureia\) Pillichiana nov. hybr. 76](#)